

quibus evincat, ut ait c. 9. sub initium, *latere in incerto, an Talmudicè ullam agnoscent versionem LXX. duorum omninò*, etsi mihi rationes illius non tam videantur, ut eum qui contrarium defendit, validè convincere queant. Quando enim in Talmudè dicitur *Massech. Sopherim, exscripserunt (LXXI.) legem per se ipsam; at 13. loca in ea immutarunt*, non statim rectè dicitur: *transcripsisse quidem eos (LXX.) græce, textum scilicet Hebræum literis græcis, & non vertisse*, prout ait *Lightsfoot. c. 7. p. 935. A*; quia *Ptolomæus*, cujus jussu hæc scriptio à Talmudistis facta dicitur, non literarum modo Hebræarum, sed & lingvæ ignarus erat. Illud verò quod scripserint legem *כפני עצמה* per se ipsam, opponi videtur 13. locis immutatis, hoc sensu: verterunt legem prout jacebat, exceptis 13. locis. Pari- ter ad illa quoque argumenta, quæ *Cap. VIII p. 935. à Lightsfooto* afferuntur, aliquid regeri potest, quod procul dubio præsentens ipse, non omninò fidit opinioni prolatae, sed saltem *in incerto latere* rem- dicit, ut antè vidimus. Interim retentâ *B. Pfeifferi* sententia *tra- ditio ista de tredecim locis immutatis* non statim *pro figmento* habe- tur, quippe quod *Lightsfootus* scriptis Judaicis excessivè deditus adeò sollicitè præcavere studet, vid. *p. 936. ad fin. cap. VIII*; quia variationi ac corruptioni versionis LXX viralis à *B. Pfeiffero* ad- scribitur, quòd hodie aliter se habeant loca *Talmudistis* notata, non autem figmento *Talmudis*. Ad loca omissa & male suppleta præ- sens noster *Jesajanus* pertinet, in quo de bestiis in antecedenti- bus nominatis superfluè additur textui hebræo, quod illæ *numero advenerint*, & elegantissima rursus ad librum Domini provocatio planè omittitur, ut vel exinde, quam exigua sit & fallax versio- nis illius autoritas, satis pateat. Denique in eo, quando in loco nostro *Jesajano* LXXviralem versionem à textu Hebræo rece- dere affirmo, communioem seqvor opinionem, quæ totam *Scripturam* à LXX. Interpretibus translata esse tradit, cum nonnulli è contrario solum *Pentateuchum* ab iis versum esse existiment. Illud enim *& curiositas & institutum Ptolomæi, tum citatio N. Tti tum conditio Judæorum Egyptiorum confirmare videntur*, dicente *Pfeiffero l. c. p. 325.*

SECTIO